



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 4. Quo proferenda nomine?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. IV. 143

bus non possit discerni , melius est totum vene-
rari , quām despicer aliquam ex eis , cūm
non possit cognosci .

Ques. 4. Est-ne necesse ad validitatem Sa-
cramenti ut Sacerdos consecrans proferat ver-
ba formæ nomine suo , an requiritur ut ea
proferat nomine Christi ?

Resp. Requiritur ad validitatem Sacramenti ,
ut Sacerdos consecrans proferat in persona
Christi verba consecrationis , & dicat ; *Hoc est*
Corpus meum , neque enim consecraret si no-
mine suo diceret , *Hoc est Corpus Christi* ;
quia forma substantialiter corrumperetur : Et-
enim , ut ait sanctus Ambrosius ; *Vbi autem D. Amb. lib.*
venitur ut conficiatur venerabile Sacra- 4. De Sacram.
tum , jam non suis sermonibus Sacerdos utitur , cap. 4.
sed utitur sermonibus Christi .

Rationem afferunt Divus Thomas & Divus
Bonaventura. Dicendum , inquit Divus Tho- D. Tho. in 4.
mas , quod Minister in Sacramentis duplicitate sentent. dist.
operatur : uno modo , verba pronuntians , 8. q. 2. quæst.
alio modo actum aliquem exteriorem exercens , 3.
ut in Baptismo patet ; & utrumque istorum est
Sacramentalis causa ejus quod divinâ vir-
tute qua in Sacramentis latet , perficitur ,
causa autem Sacramentalis significando effi-
cit. Vnde in illis Sacramentis , in quibus
utroque modo Minister operatur , oportet quod
verba prolata significant actum exercitum , &
actus exterior significet interiorem effectum ,
ut in Baptismo patet , quia ablutio exterior ,
quam verba formæ exprimunt , significat in-
teriorem ablutionem quam divina virtus per-
ficit in Sacramento latens. Vbi ergo Minister
non operatur , nisi verba pronuntians , opor-
tet quod verborum significatio immediate ad
hoc quod efficitur , referatur : in hoc autem
Sacramento , cuius perfectio in ipsa materia

144 TRACTATUS IV.

consecratione consistit, non habet Minister actum nisi pronunciationem verborum: unde oportet quod verba forma significant hoc quod virtus divina in secreto facit in hoc Sacramento, quodque à Ministro produci nequit.

Quare forma hujus Sacramenti à Presbitero ita profertur ac si loqueretur in persona Christi, ut intelligamus, in consecratione hujus Sacramenti Ministrum nihil aliud præstare, quam proferre verba Christi, quæ sola vim habent producendi effectum hujus Sacramenti.

D. Tho. 3. P.
q. 98. art. 1.
in corp.

Ideo, ait Divus Thomas, *Forma hujus sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis*, ut detur intelligi, quod Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.

S. Bonav. in
4. dist. 8. q.
3. p. 2.

Et Divus Bonaventura ait: *Quia Minister operatur virtute Verbi incarnati conjuncta;*
& ut conjuncta, ideo dicit M E U M: loquitur enim Sacerdos in persona Christi, ideo pro Christo dicit M E U M.

Quest. 5. Quomodo forma consecrationis potest esse vera, cum videatur exigere ad veritatem propositionis, quæ affirmat rem esse, ut existat, priusquam propositione proferatur: at forma consecrationis præcedit rem quam enuntiat, cum ipsi det esse, ac proinde falsa est, affirmans rem esse, cum nondum est?

Resp. Ad hujus intelligentiam sciendum est, duplex esse propositionum genus: aliæ dicuntur speculativæ, quæ tantum repræsentant, & exprimunt objectum, ut cum dico, En urbem pulchram. Aliæ dicuntur practicæ, quæ efficiunt quod enuntiant, ut cum Sacerdos profert verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum.*

Hoc supposito, Dicendum cum Divo Thoma,